

MATTHIAE II. IMPER. & REG. DECRET. I. ANNI 1608. ARTIC. ANTE CORON.

Officium Cancellariatus bene meritae alicui personae conferatur: Et Majestas Sua Regia, in rebus Ungaricis, non nisi Ungarico etiam Consilio utatur: Neque supplicantibus, alios, quam decet, Consiliarios et Secretarios, pro suis expeditionibus adeant.

Articulus 10.

Ad Nonum et Decimum. Ut omnis gubernatio dignitasque Consilii Ungarici: Item Cancellariae authoritas, per Suam Regiam Majestatem defacto restauretur: Eaque ex Consilio Ungarico idoneae personae conferatur; nec non omnia officia majora et minora, etiam Tricesimae, earumque Praefecturae, tam in hoc Ungariae, quam aliis sibi annexis, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnis, per nativos Ungaros, Nationesque subjectas et annexas, de caetero administrentur, statutum est:

§. 1. Caveatque Sua Majestas Regia sufficienter, praedictis Statibus et Ordinibus Regni; ne externae Nationes deinceps et alterius Nationis homines in gubernationem Ungaricam unquam sese ingerant:

§. 2. Neve in rebus Ungaricis aliorum, quam Ungarorum Consilio (ex omnibus Partibus Regni Ungariae, atque etiam Sclavoniae, ex Ordine quoque Nobilium, in praesenti adhuc Diaeta collecto, juxta Decr. 3. Uladislai Regis Artic. 7. et Ludovici 2. Artic. 39.) absque Religionis discrimine, eadem Majestas Sua utatur.

Confiniorum Praefecturae et Capitaneatus Ungaris in Regno possessionatis conferantur: Et ratione Praesidiorum Sclavonicorum Majestas Sua Regia cum Serenissimo Archi-Duce Domino Ferdinando per Legatos concludat.

Articulus 11.

Confiniorum vero Praefecturas et Capitaneatus, tam in hoc, quam supradictis Regnis; Ungaris nativis, aliisque subjectis et annexis Nationibus, idoneis vide-licet et bene meritis personis, adhuc sub hac Diaeta, Majestas Sua Regia ex Consilio Ungarico conferat.

§. 1. Imo et officia Supremorum Capitaneorum Praesidii Vesprimensis et Neogradiensis, nativis Ungaris, excepto pro nunc Jaurino (ita tamen, ut ibidem juxta antiquum morem et consuetudinem, Ungari Vice-Capitanei, cum pri-stina autoritate et potestate, de caetero interteneantur, idemque Supremus Ca-pitaneus Jaurinensis Juribus Regni subjaceat et suam post Regiam Majestatem dependentiam a Palatino habeat, neque se in jurisdictionem Dominorum ter-restrialium ingerat, contrariumque faciens Juribus Regni subsit) Dominis videlicet Baronibus, seu Nobilibus in Regno possessionatis: Capitaneatum vero Comaro-miensem, ut nativo Ungaro, bene meritae personae, sine ullo Religionis discri-mine conferat; obnixe petunt.